

MUSIC OF THE SARUM OFFICE
Breviarium Sarisburiense cum nota.

Tome B.
Fasciculus 18.
Pages 693-730.

Proprium de tempore.
Dominice et ebdomade
post octavas epyphanie.

Edited by William Renwick.

HAMILTON ONTARIO.
THE GREGORIAN INSTITUTE OF CANADA.
MMVIII.

Music of the Sarum Office is published by The Gregorian Institute of Canada/L'Institut Grégorien de Canada, 45 Mercer Street, Dundas, Ontario, Canada L9H 2N8. The Gregorian Institute of Canada is affiliated with the School of the Arts, McMaster University.

Music of the Sarum Office is distributed over the internet through .pdf files located at: www.humanities.mcmaster.ca/~renwick/sarum-01.htm

This document first published August 1, 2008.

All rights reserved. This publication may be downloaded and stored on personal computers, and may be printed for purposes of research, study, education, and performance. No part of this publication may be uploaded, printed for sale or distribution, or otherwise transmitted or sold, without the prior permission in writing of the Gregorian Institute of Canada.

The Gregorian Institute of Canada/L'Institut Grégorien du Canada is a charitable organization registered by the Federal Government of Canada.

Web site address: www.gregorian.ca

© The Gregorian Institute of Canada, 2008.

¶ *Dominica ij. post octavas epyphanie.*

Ad [j.] vesperas.

Ant. Benedictus. [350].

Ps. Ipsum. (cxliij.) [350].

Capitulum, hymnus, versus et antiphona super psalmum Magnificat. ut supra in dominica precedenti. 634.

Oratio.

¶ **D**ñipotens sempitérne Deus
qui celéstia simul et terréna
moderáris, supplicatiónes pópuli tui

cleménter exáudi : et pacem tuam
nostris concéde tempóribus. Per
Dóminum.

¶ *Ad matutinas.*

Invitatorium, hymnus, antiphone, psalmi, versus et responsoria sicut in precedenti dominica 635. et sic fiat omnibus dominicis usque ad lxx. quando de dominica agitur.

Lectiones de epístola Pauli ad Chorin. j.

Lectio prima. (I. Corin. j. : I.)

¶ **A**ulus vocátus apóstolus Jesu
Christi per voluntátem Dei,
et Sósthene frater, ecclési-
e Dei que est Corínthi, sanctificátis in
Christo Jesu vocátis sanctis, cum
ómni-
bus qui ínvocant nomen Dómini
nostri Jesu Christi in omni loco
ipsórum et nostro : grátia vobis et pax
a Deo Patre nostro et Dómino Jesu
Christo. Grátias ago Deo meo
semper pro vobis in grátia Dei que
data est vobis in Christo Jesu : quia in
ómni-
bus dívites facti estis in illo, in

omni verbo et in omni sciéntia : sicut
testimónium Christi confirmátum est
in vobis, ita ut nichil vobis desit in
ulla grátia, expectántibus reve-
latió-
nem Dómini nostri Jesu Christi,
qui et confirmábit vos usque in finem
sine crímine, in diem advéntus
Dómini nostri Jesu Christi. Fidélis
Deus : per quem vocáti estis in
societátem Fílii ejus Jesu Christi
Dómini nostri. Tu autem [Dómine
miserére nostri].

Lectio ij. (1. Cor. i. : 10.)

Bsécro autem vos fratres, per nomen Dómini nostri Jesu Christi, ut id ipsum dicátis omnes : et non sint in vobis scismáta. Sitis autem perfecti in eódem sensu : et in eádem scientia. Significátum enim est michi de vobis, fratres mei ab his qui sunt Cloes : quia contentiónes sunt inter vos. Hoc autem dico : quod unusquisque vestrum dicit, Ego quidem sum Pauli, ego autem Apóllo,

ego vero Cephas : ego autem Christi. Divísus est ergo Christus ? Nunquid Paulus crucifixus est pro vobis : aut in nómine Pauli baptizáti estis ? Grátias ago Deo meo quod néminem vestrum baptizávi nisi Crispum et Gayum : ne quis dicat quod in nómine meo baptizáti estis. Baptizávi autem et Stéphana domum. Céterum néscio si quem álium vestrum baptizáverim.

Lectio iij. (1. Cor. j. : 17.)

Non enim misit me Christus baptizáre sed evangelizáre, non in sapiéntia verbi : ut non evacuétur crux Christi. Verbum enim crucis pereúntibus quidem stultítia est : his autem qui salvi fiunt, id est nobis, virtus Dei est. Scriptum est enim, Perdam sapiéntiam sapiéntum : et prudéntiam prudéntum reprobábo.

Ubi sápiens ? Ubi scribe ? Ubi conquisitor hujus séculi ? Nonne stultam fecit Deus sapiéntiam hujus mundi ? Nam quia in Dei sapiéntia non cognóvit mundus per sapiéntiam Deum : plácuít Deo per stultítiam predicationis salvos fácere credéntes. [68v.] Quóniam et Judéi signa petunt : et Greci sapiéntiam querunt.

Lectio iiij. (1. Cor. j. : 23.)

Nos autem predicámus Christum crucifixum : Judéis quidem scándalum, géntibus autem stultítiam. Ipsi autem vocátis Judéis atque Grecis : Christum Dei virtútem et Dei sapiéntiam. Quia quod stultum est Dei, sapiéntius est homínibus : et quod infirmum est Dei, fórtius est homínibus. Vidéte enim

vocationem vestram fratres quia non multi sapiéntes secúndum carnem, non multi poténtes, non multi nóbiles, sed que stulta sunt mundi elégit Deus ut confúndat sapiéntes, et infirma mundi elégit Deus ut confúndat fórtia : et ignobília mundi, et contemptibília elégit Deus et ea que non sunt, ut ea que sunt destrúeret :

ut non gloriétur omnis caro in conspéctu ejus. Ex ipso autem vos estis in Christo Jesu qui factus est nobis sapiéntia a Deo et justícia et

sanctificátio et redémptio : ut quemádmódu scriptum est, qui gloriátur in Dómino gloriétur.

Lectio v. (1. Cor. ij. : 1.)

FRatres, ego cum veníssem ad vos veni, non in sublimitáte sermónis aut sapiéntie : annúncians vobis testimónium Christi. Non enim judicávi scire me áliquid inter vos nisi Christum Jesum : et hunc crucifixum. Et ego in infirmitáte et

in timóre et tremóre multo fui apud vos. Et sermo meus et predicátio mea non in persuasíbilibus humáne sapiéntie verbis sed in ostensióne Spíritus et virtútis : ut fides vestra non sit in sapiéntia hóminis, sed in virtúte Dei.

Lectio vj. (1. Cor. ij. : 6.)

Sapiéntiam autem lóquimur inter perfectós : sapiéntiam vero non hujus séculi neque princípum hujus séculi qui destruúntur : sed lóquimur Dei sapiéntiam in mystério que abscondita est, quam predes-tinávit Deus ante sécula in glóriam nostram, quam nemo princípum hujus séculi cognóvit. Si enim cognovissent : nunquam Dóminum glórie crucifixissent. Sicut scriptum

est quod óculus non vidit, nec auris audívit, nec in cor hóminis ascéndit : que preparávit Deus his qui dilígunt illum. Nobis autem revelávit Deus per Spíritum suum. Spíritus enim ómnia scrutátur : étiam profúnda Dei. Quis enim scit hóminum que sunt hóminis : nisi spíritus hóminis qui in ipso est ? Ita et que sunt Dei nemo cognóvit : nisi Spíritus Dei.

¶ *Secundum Johannem ij. [: I-II.]*



IN illo témpore. Núptie facte sunt in Chana Galilée : et erat mater Jesu ibi. Vocátus est autem Jesus : et discipuli ejus ad núptias. Et reliqua.

Omelia venerabilis Bede presbyteri.

(10. libri primi omeliarum.)¹

Quod Dóminus atque Salvátor noster ad núptias vocátus, non solum veníre sed et miráculum íbidem quo convívas letificáret fácere dignátus est : excéptis sacramentórum celés-

tium figúris, étiam juxta lítteram fidem recte credéntium confirmat. Porro Taciáni et Marciáni ceterorúmque qui núptiis détrahunt perfidia : quam sit damnábilis insínuat. Si enim thoro immaculáto, et núptiis débita castitáte celebrátis culpa inésset : nequáquam Dóminus ad has veníre, nequáquam suórum signórum iníitiis consecráre voluisset. Nunc autem quia bona est cástitas conju-

gális, mélior continéntia viduális, óptima perféctio virginális : ad comprobándam ómnium electiónem gráduum, discernéndum tamen méritum singulórum, ex intemeráto Maríe vírginis útero nasci dignátus est, a prophético Anne vídue ore, mox natus benedíctur, a nuptiárum celebratóribus jam júvenis invitátur, et hos sue preséntia virtútis honórat, et altiórem celéstium letíciam figúrat.

Lectio viij.

Mirácula namque factúrus in terra Dei Fílius venit ad núptias, ut ipsum se esse docéret : de quo sub typo solis psalmísta precínit. Et ipse tanquam sponsus procedens de thálamo suo : exultávit ut gygas ad curréndam viam. A summo celo egréssio ejus : et occúrsus ejus usque ad summum ejus. Qui et ipse quodam loco de se suisque fidélibus ait. Nunquid possunt filii sponsi lugére, quándiu cum illis est sponsus ? Vénient autem dies cum auferétur ab

eis sponsus : et tunc jejunábunt. Quia nimírum incarnátio nostri Salvatóris, ex quo pátribus cepit promítti : multis sanctorum est [69r.] láchrimis et luctu semper expectáta donec veníret. Simíliter ex quo post resurrectionem ascéndit ad celum : omnis sanctorum spes ad ejus pendet réditum. Solo autem quo cum homínibus conversátus est témpore, flere ac lugére nequívérunt : quia jam secum étiam corporáliter eum quem spirituáliter dilexérunt habébant.

Lectio ix.

Sponsus ergo Christus : sponsa ejus est ecclésia. Fílii sponsi vel nuptiárum : sínguli quique fidélium ejus sunt. Tempus nuptiárum est tempus illud : quando per incarnationis mystérium, sanctam sibi ec-

clésiam sociávit. Non ígitur casu, sed certi causa mystérii venit ad núptias in terra carnáli more celebrátas : qui ad copulándam sibi spirituáli amóre ecclésiam, de celo descéndit ad terram. Cujus quidem thálamus, incorrupte

genitricis úterus fuit, in quo Deus humáne natúre conjúctus est : et ex quo ad sociándam sibi ecclésiám tanquam sponsus procéssit. Primus nuptiárum locus Judéa éxstitit : in qua Dei Fílius homo fieri, et ecclésiám sui córporis ac sánguinis participatióne

consecráre et sui Spíritus pignóre in fide confirmáre dignátus est. Sed vocátis ad fidem géntibus : usque ad finem orbis terre earúndem nuptiárum vótiva gáudia pervenérunt. Tu autem.

¶ *In laudibus.*


Hec sola antiphona Regnavit. 653. ut supra dictum est.

AS:126; 1519:127r; 1531:69r.²

Ant.
VIII.iv.



Upti- e * facte sunt in Cha-na Ga-li-lé- e : et e-rat



3979.

i-bi Je-sus cum Ma-rí- a matre e-jus. *Ps. Benedíctus. 60**.

¶ *Ad vespas.*

AS:126; 1519:127r; 1531:69r.

Ant.
I.i.




E- fi-ci- énte * vi-no jussit Je-sus implé-re ýdri-



2138.

as aqua, que in vi-num convérsa est al-le- lú-ya.



Ps. Magnificat. 43^{*.3}

[Oratio ut supra.]⁴ 693.

Feria ij. et quotidie in omnibus feriis supradictus ordo feriarum servetur usque ad xl. nisi de responsoriis infra septuagesimam : tunc enim dicuntur responsoria de hystoria dominicali.

¶ *Feria ij.*

Lectio prima. (1 Corin. ij. : 12.)

Nos autem non spiritum hujus mundi accepimus, sed spiritum qui ex Deo est : ut sciamus que a Deo donata sunt nobis,

que et loquimur, non in doctis humane sapientie verbis, sed in doctrina Spiritus spiritualibus spiritualia comparantes.

Lectio ij. (1 Cor. ij. : 14.)

Animalis autem homo : non percipit ea que sunt Spiritus Dei. Stulticia enim est illi et non potest intelligere : quia spiritualiter examinatur. Spiritualis autem judicat

omnia : et ipse a nemine judicatur. Quis enim cognovit sensum Domini, aut quis instruxit eum ? Nos autem sensum Christi habemus.

Lectio iij. (1 Cor. iij. : 1.)

Et ego fratres non potui vobis loqui quasi spiritualibus : sed quasi carnalibus. Tanquam parvulis in Christo, lac vobis potum dedi : non escam. Nondum enim poteratis, sed

nec nunc quidem potestis. Adhuc enim estis carnales. Cum enim sit inter vos zelus et contentio : nonne carnales estis et secundum hominem ambulatis.

¶ *Feria tertia.*

Lectio prima. (1. Cor. iij. : 4.)

Um enim quis dicat, ego quidem sum Pauli : álius autem, ego Apóllo, nonne hómines estis ? Quid est ígitur Apóllo ? Quid vero Paulus ? Mínistri ejus cui credidístis : et unicuíque sicut

Deus dedit. Ego plantávi, Apóllo rigávit : sed Deus incrementum dedit. Itaque neque qui plantat est áliquid, neque qui rigat : sed qui incrementum dat Deus. Qui plantat autem et qui rigat unum sunt.

Lectio secunda. (1. Cor. iij. : 8.)

Unusquisque autem próprium mercédem accípiet : secúndum suum labórem. Dei enim sumus adjutóres, Dei agricultúra estis : Dei edificátio estis. Secúndum grátiam Dei que data est michi, ut sápiens

architéctus fundaméntum pósui : álius autem superedificat. Unusquisque autem vídeat quómodo superedificet. Fundaméntum enim áliud nemo potest pónere preter id quod pósitum est : quod est Christus Jesus.

Lectio tertia. (1. Cor. iij. : 12.)

Si quis autem superedificat super fundaméntum hoc, aurum, et argéntum, lápides precíosos, ligna, fenum, stípulam : uniuscújusque opus maniféstum erit. Dies enim Dómini declarábit, quia in igne revelábitur : et

uniuscújusque opus quale sit ignis probábit. Si cujus opus ménerit quod superedificávit : mercédem accípiet. Si cujus opus árserit : detriméntum patiétur. Ipse autem salvus erit : sic tamen quasi per ignem.

¶ *Feria iiij.*

Lectio j. (1. Corin. iij. : 16.)

Nescitis quia templum Dei estis, et Spíritus Dei hábitat in vobis ? Si quis autem templum Dei violáverit, dispédet illum Deus. Templum enim Dei sanctum est : quod estis vos.

[69v.]

Nemo se sedúcat. Si quis vidétur inter vos sápiens esse in hoc século : stultus fiat ut sit sápiens. Sapiéntia enim hujus mundi : stultítia est apud Deum. Scriptum est enim, Compréhéndam sapiéntes in astútia eórum. *Job. v.*

Et iterum, Dóminus novit cogitationes sapiéntium : quóniam vane

sunt.

Lectio ij. (1. Cor. iij. : 21.)

ITaque nemo gloriétur in homínibus. Omnia enim vestra sunt : sive Paulus, sive Apóllo, sive Cephas, sive mundus, sive vita, sive mors, sive presentia, sive futúra. Omnia enim vestra sunt : vos autem Christi, Christus autem Dei.

1. Cor. iv.

Sic nos existimet homo ut ministros Christi : et dispensatores ministeriorum⁵ Dei. Hic jam queritur inter dispensatores : ut fidelis

quis inveniátur. Michi autem pro mínimo est ut a vobis júdicer, aut ab humano die : sed neque meípsum júdico. Nichil enim michi cóncius sum : sed non in hoc justificátus sum. Qui autem júdicat me Dóminus est. Itaque nolíte ante tempus júdicáre⁶ : quoadúsque véniat Dóminus, qui et illuminábit abscondita tenebrarum, et manifestábit consilia córdium, et tunc laus erit unicuíque a Deo.

Lectio tertia. (1. Cor. iv. : 6.)

Hec autem fratres transfigurávi in me et Apóllo propter vos : ut in nobis discátis ne supra quam scriptum est, unus advérsus álterum inflétur pro álío. Quis enim te discernit ? Quid autem habes quod non accepisti ? Si accepisti, quid gloriáris quasi non accéperis ? Jam saturáti estis : jam dívites facti estis. Sine nobis regnátis. Et útinam regnétiis : ut et nos vobíscum regnémus. Puto enim quod Deus apóstolos nos novíssimos osténdit : tanquam morti destinátos. Quia spectáculum facti sumus mundo : et ángelis et homínibus. Nos stulti propter Christum : vos autem

prudéntes in Christo. Nos infirmi : vos autem fortes. Vos nóbiles : nos autem ignóbiles. Usque in hanc horam et esúrimus et sitímus, et nudí sumus. Et cólaphis cédimur, et instábiles sumus : et laborámus operántes mánibus nostris. Maledícimur : et benedícimus. Persecutiónem pátimur : et sustinémus. Blasphemámur : et obsecrámus. Tanquam purgaménta hujus mundi facti sumus : ómnium perípisma usque adhuc. Non ut confúndam vos hoc scribo : sed ut filios meos charíssimos móneo. Tu autem.

¶ *Feria v.*

Lectio j. (1. *Cor. iv.* : 15.)

M Am si decem mília pedagógórum habeátis in Christo : sed non multos patres. Nam in Christo Jesu per evangélium ego vos genui. Rogo ergo vos : imitatóres mei estóte, sicut et

ego Christi. Ideo misi ad vos Tymothéum qui est filius meus charíssimus et fidélis in Dómino : qui vos commonefáciat vias meas que sunt in Christo Jesu, sicut úbique in omni ecclésia dóceo.

Lectio ij. (1. *Cor. iv.* : 18.)

T Anquam non ventúrus sim ad vos : sic infláti sunt quidam. Véniam autem ad vos cito : si Dóminus volúerit. Et cognóscam non sermónem eórum qui infláti sunt :

sed virtútem. Non enim in sermóne est regnum Dei : sed in virtúte. Quid vultis ? In virga véniam ad vos, an in charitáte et spírítu mansuetúdinis ?

Lectio tertia. (1. *Cor. v.* : 1.)

O Mnino auditur inter vos fornicátio, et talis fornicátio qualis nec inter gentes : ita ut uxórem pátria sui áliquis hábeat. Et vos infláti estis, et non magis luctum habuístis : ut tollátur de médio vestrum qui hoc opus fecit. Ego quidem absens córpore, presens autem spírítu, jam

judicávi ut presens eum qui sic operátus est, in nómine Dómini nostri Jesu Christi congregátis vobis et meo spírítu cum virtúte Dómini Jesu, trádere hujúsmodi Sáthane in intéritum carnis : ut spírítus salvus sit in die Dómini nostri Jesu Christi.

¶ *Dominica iij.*

[*Ad vesperas.*]⁷

Oratio.

DMnípotens sempitérne Deus
infirmítatem nostram propícus
réspecte : atque ad protegéndum nos

déxteram tue majestátis exténde. Per
Dóminum.

¶ *Ad matutinas.*

Lectiones de epistola Pauli ad Chorinth. Secunda.

Lectio prima. (2. Cor. j. : 1.)

Aulus apóstolus Jesu Christi
per voluntátem Dei, et
Tymothéus frater ecclésie
Dei que est Corínthi, cum ómnibus
sanctis qui sunt in univérsa Acháia :
grátia vobis et pax a Deo Patre nostro
et Dómino Jesu Christo. Benedíctus
Deus et Pater Dómini nostri Jesu
Christi, Pater misericordiárum et
Deus tótius consolatiónis : qui
[70r.] consolátur nos in omni tribulatióne
nostra : ut póssimus et ipsi consolári
eos qui in omni pressúra sunt, per
exhortatióne[m] qua exhortámur et ipsi

a Deo. Quóniam sicut abúndant
passiões Christi in nobis, ita et per
Christum abúndat consolátio nostra.
Sive autem tribulámur pro vestra
exhortatióne et salúte, sive
consolámur pro vestra consolatióne,
sive exhortámur pro vestra exhor-
tatióne et salúte que operátur
tollerántiam earúndem passiónum
quas et nos pátimur : ut spes nostra
firma sit pro vobis, sciéntes quóniam
sicut sócii passiónum estis, sic éritis et
consolatiónis.

Lectio ij. (2. Cor. i. : 8.)

Non enim vólumus vos ignoráre
fratres, de tribulatióne nostra
que facta est in Asia, quóniam supra
modum graváti sumus et supra vir-
tútem : ita ut téderet nos étiam vívere.
Sed et ipsi in nobisípsis respónsum

mortis habúimus, ut non simus
fidéntes in nobis : sed in Deo qui
súscitat mórtuos, qui de tantis
perículis erípuit nos et éruit, in quem
sperámus quóniam et adhuc erípiet,
adjuvántibus vobis in oratióne pro

nobis : ut ex multárum persónis faciérum, ejus que in nobis est donatiónis per multos agántur grátie pro nobis. Nam glória nostra hec est, testimónium consciéntie nostre, quod

in simplicitáte cordis et sinceritáte Dei, et non in sapiéntia carnáli, sed in grátia Dei conversáti sumus in hoc mundo : abundántius autem ad vos.

Lectio tertia. (2. Cor. j. : 13.)

Non enim ália scríbimus vobis : quam que legístis et cognovístis. Spero autem quod usque in finem cognoscétis : sicut et cognovístis nos ex parte. Quia glória vestra sumus sicut et vos nostra, in die Dómini nostri Jesu Christi. Et hac confidéntia vólui prius veníre ad vos : ut secúndam grátiam haberétis, et per

vos transírem in Macedóniam, et íterum a Macedónia veníre ad vos, et a vobis dedúci in Judéam. Cum ergo hoc voluíssem, nunquid levitáte usus sum ? Aut que cógito secúndum carnem cógito, ut sit apud me est et non ? Fidélis autem Deus : quia sermo noster qui fuit apud vos, non est in illo, est et non.

Lectio iiiij. (2. Cor. j. : 19.)

DEi enim Fílius Jesus Christus qui in vobis per nos predicátus est, per me et Silvánum et Tymothéum : non fuit in illo est et non, sed est in illo fuit. Quotquot enim promissiónes Dei sunt in illo étiam. Ideo et per ipsum dícimus amen Deo : ad glóriam vestram. Qui autem confirmat nos vobíscum in Christo et qui unxit nos Deus : et qui signávit nos et dedit pignus Spíritus in córdibus nostris. Ego autem testem ínvoco Deum in ánimam meam, quod parcens vobis non veni

ultra Corínthum. Non quia dominámur fidéi vestre : sed adjutóres sumus gáudii vestri. Nam fide statis.

Státui autem hoc ipsum apud me : 2. Cor. ij. ne íterum in tristícia venírem ad vos. Si enim ego contrísto vos, et quis est qui me letíficet, nisi qui contristátur ex me ? Et hoc ipsum scripsi vobis, ut non cum vénero tristíciam super tristíciam hábeam : de quibus oportúerat me gaudére confidens in ómnibus vobis, quia meum gáudium ómnium vestrum est. Tu autem.

Lectio quinta. (2. Cor. ij. : 4.)

FRatres, ex multa tribulatione et angustia cordis scripsi vobis per multas lacrymas, non ut contristemini : sed ut sciatis quam charitatem habeam abundantius in vobis. Si quis autem contristavit me : non me contristavit sed ex parte, ut non onerem omnes vos. Sufficit illi qui hujusmodi est, objurgatio hec que fit a pluribus : ita ut econtrario magis donetis et consolamini, ne forte

abundantiori tristitia absorbeat qui hujusmodi est. Propter quod obsecro vos ut confirmetis in illum charitatem. Ideo enim et scripsi vobis ut cognoscam experimentum vestrum : an in omnibus obediens sitis. Cui autem aliquid donastis et ego. Nam et ego quod donavi si quid donavi propter vos in persona Christi : ut non circumveniamur a Sathana. Non enim ignoramus cogitationes ejus.

Lectio vj. (2. Cor. ij. : 12.)

Cum autem venissem Troadem propter evangelium Christi, et ostium michi apertum esset in Domino : non habui requiem spiritui meo, eo quod non invenerim Tythum fratrem meum : sed valefaciens eis profectus sum in Macedoniam. Deo autem gratias qui semper triumphat nos in Christo Jesu : et odorem noticie sue manifestat per nos in

omni loco, quia Christi bonus odor sumus Deo, in his qui salvi fiunt, et in his qui pereunt. Aliis quidem odor [70v.] mortis in mortem : aliis autem odor vite in vitam. Et ad hec quis tam idoneas ? Non enim sumus sicut plurimi adulterantes verbum Dei : sed ex sinceritate sicut ex Deo coram Deo in Christo loquimur.

¶ *Lectio sancti evangelii secundum Mattheum, viij. [1-13.]*



IN illo tempore. Cum descendisset Jesus de monte : secute sunt cum turbe multe. Et reliqua.

Omelia Origenis. (5. inter diversos.)

Docente in monte Domino : discipuli venerunt ad eum, sicut alacres, sicut domestici, sicut proximi, sicut amici vel fratres. Ideo ait Dominus ad eos. Vos estis sal terre : et vos estis lux mundi. Nunc vero descendente eodem de monte, turbe secute sunt eum que in montem

ascendere non potuerunt : ut pigri populi, ut negligentes, ut imperfecti. Ita et filii Israel primitus in montem ascendere non valuerunt, ad obviandum Deo pergere non potuerunt, propter suam irreligiositatem et impietatem : sed solus Moyses ascendit et pauci cum eo seniorum Israel. Ita et cum Domino discipuli soli in montem ascenderunt : et tardiores deorsum steterunt. Sic et

modo vigilantes et alacres et fideles anime Deum timentes, et Dominum diligentes, regna celestia desiderantes, Dominum semper sequentes post Dominum in illum celestem montem ascendant : audientes apostolum dicentem, Que sursum sunt querite : non que super terram. Que sursum sunt sapite : ubi Christus est in dextera Dei sedens.

Lectio octava.

Descendente nunc Domino, hoc est inclinante se ad infirmitatem et humilitatem et impotentiam ceterorum : misertus est imperfecti eorum vel infirmitati, secute sunt eum turbe multe. Aliquanti propter charitatem, aliquanti propter doctrinam : aliquanti propter admirationem et curationem. Et ecce homo leprosus unus ex illis qui curam querabant : qui levamen desiderabant.

Et ecce leprosus veniens : adorabat eum dicens, Domine, si vis potes me mundare. Deorsum currens rogas, o homo : et in monte nichil dicis ? Quare sic ? Quia tempus et tempora, omni rei sub celo. Tempus doctrine : et tempus curationis. In monte docuit, illuminavit, monuit : animas curavit, corda sanavit. Propterea ergo illa majora tentare volui : illa summa tardare passus sum.

Lectio nona.

Ipsis ergo ab illo completis, deorsum eo de monte ad curandum descendente sicut de celo, sicut de celestibus montibus ad salvandos carnales : venit ad eum homo leprosus adorans eum. Antequam peteret : adorare ceperat. Antequam rogaret, culturam ostendit.

Adoravit eum. Pro hoc ipso Deum et Dominum eum invocans : adorabat eum. Sic et illi beati Magi prius procedentes adoraverunt eum : et ita demum munera ei obtulerunt. Eodem modo et nunc iste cadens adoravit : et sic supplicem obtulit postulationem Domino dicens, Tu

qui digne adoráris, qui mérito cóleris :
te ego ut Dóminum adóro. Ideóque
te Dóminum dico, ópera prius
contéstans : et sic verba loquens. Per

te enim ómnia facta sunt. Tu ergo
Dómine si vis, potes me mundáre.
Volúntas tua opus est : ídeo si vis
potes me mundáre.

[**C** *In laudibus.*]

AS:126; 1519:127v; 1531:70v.⁸

1985. Ant.
VIII.i.



Um autem * descendís-set Je-su de monte : ecce lep-
ró-sus vé-ni- ens a-do-rá-bat e-um di-cens : Dómi-ne, si
vis po-tes me mundá-re, et exténdens ma-num te-tí-git
e-um di-cens, Vo- lo mundá-re. *Ps. Benedictus. 69**.

[*Oratio ut supra.*]⁹ 702.


[**C** *Ad vesperas.*]

AS:126; 1519:127v; 1531:70v.


2368. Ant.
I.iii.



O- mi-ne, * pu-er me-us ja-cet pa-ra-lí-ti-cus in



domo, et ma-le torqué-tur. Amen di-co ti-bi : e-go vé-



ni- am et cu-rá-bo e-um. *Ps. Magnificat. 46**.

[*Oratio ut supra.*] 702.

¶ *Feria secunda.*

Lectio prima. (2. *Cor. iij. : 1.*)

Ncupimus iterum nosmetipsos commendare ? Aut nunquid egemus sicut quidam commendaticiis epistolis ad vos aut ex vobis ? Epistola nostra vos estis scripta in cordibus nostris, que scitur et legitur ab omnibus

hominibus : manifestati, quoniam epistola estis Christi ministrata a nobis, et scripta non atramento, sed Spiritu Dei vivi ; non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus.

Lectio secunda. (2. *Cor. iij. : 4.*)

[71r.] **F**iduciam talem habemus per Christum ad Deum, non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est : qui et idoneos nos fecit ministros novi testamenti, non littera sed spiritu. Littera enim occidit : spiritus autem vivificat. Quod si ministratio mortis litteris deformata in lapidibus fuit in gloria, ita ut non possent intendere filii Israel in faciem

Moyse, propter gloriam vultus ejus que evacuatur : quomodo non magis ministratio spiritus erit in gloria ? Nam si ministratio damnationis facta est in gloria : multo magis abundat ministerium justicie in gloria. Nam nec glorificatum est quod claruit in hac parte : propter excellentem gloriam. Si enim quod evacuatur per gloriam est : multo magis quod manet in gloria est.

Lectio iij. (2. Cor. iij. : 12.)

Habentes igitur talem spem : multa fiducia útimur. Et non sicut Móyses ponébat vélamen super faciém suam, ut non intendérent filii Israel in faciém ejus quod evacuátur : sed obtúsi sunt sensus eórum. Usque in hodiérnum enim diem : idípsum vélamen in lectióne véteris testaméti manet non revelátum, quod in Christo evacuátur. Sed usque in hodiérnum diem cum légitur Móyses :

vélamen est pósito super cor eórum. Cum autem convérsi fúerint ad Deum : auferétur vélamen. Dóminus autem Spíritus est. Ubi autem Spíritus Dómini : ibi líbertas. Nos vero omnes reveláta fácie glóriam Dómini speculántes, in eándem imáginem transformámur a claritáte in claritatem : tanquam a Spíritu Dómini.

¶ *Feria iij.*

Lectio j. (2. Cor. iv. : 1.)

Deo habentes hanc ministratióne[m] juxta quod misericórdiam consécuti sumus, non deficimus, sed abdicámus occúlta dedécoris, non ambulántes in astútia

neque adulterántes verbum Dei : sed in manifestatióne veritátis commendántes nosmetípsos ad omnem consciéntiam hóminum, coram Deo.

Lectio ii. (2. Cor. iv. 3.)

Quod si étiam opértum est evangélium nostrum : in his qui péreunt opértum est, in quibus deus hujus séculi excecávit mentes infidélium, ut non fúlgeat illuminátió evangélii glóriæ Christi, qui est imágo Dei. Non enim nosmetípsos predi-

cámus : sed Jesum Christum Dóminum nostrum, nos autem servos vestros per Jesum. Quóniam Deus qui dixit de ténébris lumen splendescere : illúxit in córdibus nostris ad illuminatióne[m] sciéntie claritátis Dei, in fácie Christi Jesu.

Lectio iij. (2. Cor. iv. 7.)

Habémus autem thesáurum istum in vasis fictílibus, ut sublímitas sit virtútis Dei : et non ex nobis. In


ómnibus tribulatióne[m] pátimur : sed non angustíamur. Aporiámur : sed non destitúimur. Persecutióne[m]

pátimur : sed non derelinquimur. Dejícimur : sed non perimus. Semper mortificatióem Jesu in córpore nostro circumferéntes : ut et vita Jesu in corpóribus nostris manifestétur. Semper enim nos qui vívimus in mortem trádimur propter Jesum : ut et vita Jesu manifestétur in carne nostra mortáli. Ergo mors in nobis operátur : vita autem in vobis. Habéntes autem eúndem spíritum fidéi, sicut scriptum est, Crédidi propter quod locútus sum, et nos crédimus propter quod et lóquimur, sciéntes quóniam qui suscitávit Jesum : et nos cum Jesu suscitábit et

constítuet vobíscum. Omnia enim propter vos : ut grátia abúndans per multos in gratiáram actióne abúndet in glóriam Dei. Propter quod non defícimus. Sed licet is qui foris est noster homo corrumpátur : tamen is qui intus est renovátur de die in diem. Id enim quod in presénti est momentáneum et leve tribulatióis nostre supra modum in sublimitáte etérnum glórie pondus operátur in nobis : non contemplántibus qua vidéntur, sed que non vidéntur. Que enim vidéntur temporália sunt : que autem non vidéntur etérna sunt. Tu autem.


¶ *Feria quarta.*

Lectio prima. (2. Cor. v. : 1.)

 Cimus enim quóniam si terréstris domus nostra hujus habitatióis dissolvátur : quod edificatióem ex Deo habémus domum non manufactam sed etérnam in celis. Nam et in hoc ingemíscimus habitatióem nostram que de celo est, superíndui cupiéntes :

si tamen véstiti et non nudi inveniámur. Nam et qui sumus in tabernáculo isto ingemíscimus, graváti eo quod nólumus expoliári, sed supervestíri : ut absorbeátur quod mortále est, a vita. Qui autem efficit nos in hoc ipsum Deus : qui dedit nobis pignus Spíritus. Tu autem.

Lectio ij. (2. Cor. v. : 6.)

 Udiéntes ¹⁰ ígitur semper et sciéntes : quóniam dum sumus in hoc córpore peregrinámur a Dómino. Per fidem enim ambu-

lámus : et non per spéciem. Audémus autem, et bonam voluntátem [71v.] habémus : magis peregrinári a córpore, et preséntes esse ad Deum. Et ideo

conténdimus, sive abséntes sive preséntes : plácere illi. Omnes enim nos manifestári opórtet ante tribúnal Christi, ut réferat unusquisque própria córporis prout gessit : sive

bonum sive malum. Sciéntes ígitur timórem Dómini, homínibus suadémus : Deo autem manifesti sumus. Spero autem et in consciéntiis vestris manifestos nos esse.

Lectio iij. (2. Cor. v. : 12.)

Non íterum commendámus nos vobis, sed occasiÓnem damus vobis gloriándi pro nobis : ut habeátis ad eos qui in fácie gloriántur, et non in corde. Sive enim mente excédimus Deo : sive sóbrii sumus, vobis. Cháritas enim Christi urget nos, existimántes hoc, quóniam si unus pro ómnibus mórtuus est : ergo

omnes mórtui sunt. Et pro ómnibus mórtuus est Christus : ut et qui vivunt jam non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mórtuus est et resurréxit. Itaque nos ex hoc : néminem nóvimus secúndum carnem. Et si secúndum carnem Christum cognóvimus : sed nunc jam non nóvimus.

¶ *Feria v.*

Lectio prima. (2. Cor. v. : 17.)

In qua ergo in Christo nova creatúra est : vétera transierunt, ecce facta sunt ómnia nova. Omnia autem ex Deo qui reconciliávit nos sibi per Christum : et dedit nobis ministérium reconciliatiÓnis. Quóniam quidem Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, non repútans illis delícta ipsórum : et pósuit in nobis verbum recon-ciliatiÓnis. Pro Christo ergo

legatiÓne fúngimur : tanquam Deo exhortánte per nos, obsecrámus pro Christo reconciliámini Deo. Eum enim qui non nóverat peccátum pro nobis peccátum fecit : ut nos efficerémur justítia Dei in ipso.

Adjuvántes autem exhortámur : ne (2. Cor. vj.) in vácuum grátiam Dei recipiátis. Ait enim, Tempóre accépto exaudívi te : et in die salútis adjúvi te.

Lectio secunda. [2. Cor. vj. : 2.]


Ecce nunc tempus acceptábile : ecce nunc dies salútis. Némini

dantes ullam offensiÓnem : ut non vituperétur ministérium nostrum.

Sed in ómnibus exhibeámus nosmetípsos sicut Dei ministros in multa paciéntia, in tribulatióibus, in necessitatibus, in angústis, in plagis, in carcéribus, in seditiúnibus, in labóribus, in vigíliis, in jejúniis, in castitate, in sciéntia, in longanimitate, in suavitate, in Spírítu Sancto, in charitate non ficta, in verbo veritátis, in virtúte Dei. Per arma justítie a

dextris et a sinístris. Per glóriam et ignobilitátem : per infámiam et bonam famam. Ut seductóres : et veráces. Sicut qui ignóti : et cogníti. Quasi moriéntes : et ecce vívimus. Ut castigáti : et non mortificáti. Quasi tristes : semper autem gaudéntes. Sicut egéntes : multos autem locupletántes. Tanquam nichil habéntes : et ómnia possidéntes.

Lectio tertia. (2. Cor. vj. : II.)

 nostrum patet ad vos o Corínthii : cor nostrum dilatátum est. Non angustiamini in nobis : angustiamini autem in viscéribus vestris. Eándem autem habéntes remuneratióem, tanquam filiis dico, dilatámini et vos. Et nolíte jugum dúcere cum infidélibus. Que enim participatió justície cum iniquitate ? Aut que societas luci ad ténébras ? Que autem convéntio Christi ad Bélial ? Aut que pars fidélis cum infidéli ? Qui autem

consénsus templo Dei cum idólis ? Vos enim estis templum Dei vivi : sicut dixit Dóminus, quóniam inhabitábo in illis et inambulábo et ero illórum Deus, et ipsi erunt michi pópulus. Propter quod éxite de médio eórum et separámini dicit Dóminus, et immúndum ne tetigéritis, et ege recípiam vos : et ero vobis in patrem, et vos éritis michi in filios et filias, dicit Dóminus omnipotens. Tu autem.

¶ *Dominica quarta.*

[*Ad versperas.*]¹¹

Oratio.

Deus qui nos in tantis periculis constitutes pro humana scis fragilitate non posse subsistere : da nobis salutem mentis et corporis, ut

ea que pro peccatis nostris patimur, te adjuvante vincamus. Per Dominum nostrum.

[¶ *Ad matutinas.*]¹²

Lectiones de epistola Pauli ad Galathas.

Lectio prima. (Ad Galathas. j. : 1.)

Aulus apostolus¹³ non ab hominibus neque per hominem, sed per Jesum Christum et Deum Patrem qui suscitavit eum a mortuis : et qui mecum sunt omnes fratres ecclesie Galathie. Gratia vobis et pax a Deo Patre nostro et Domino Jesu Christo :
[72r.] qui dedit semetipsum pro peccatis

nostris, ut eriperet nos de presenti seculo nequam secundum voluntatem Dei et Patris nostri, cui est gloria in secula seculorum amen. Miror quod sic tam cito transferimini ab eo qui vos vocavit in gratiam Christi, in aliud evangelium quod non est aliud, nisi sunt aliqui qui vos conturbant et volunt subvertere evangelium Christi.

Lectio secunda. (Ad Galat. j. : 8.)

Sed licet nos aut angelus de celo evangelizet vobis preterquam quod evangelizavimus vobis : anathema sit. Sicut predixi et nunc iterum dico. Si quis vobis evangelizaverit preter id quod accepistis : anathema sit. Modo enim hominibus suadeo an Deo ? An quero hominibus placere ? Si adhuc hominibus placere : Christi servus non essem.

Notum enim vobis facio fratres evangelium quod evangelizatum est a me : quia non est secundum hominem. Neque enim ego ab homine accipi illud neque didici : sed per revelationem Jesu Christi. Audistis enim conversationem meam aliquando in Iudaismo, quoniam supra modum persequabar ecclesiam Dei et expugnabam eam et proficiebam in

Judaísmo supra multos coetáneos meos in génere meo, abundántius

emulátor existens paternárum meárum traditiónum.

Lectio tertia. (Ad Galat. j. : 15.)

CUm autem complácuit ei qui me segregávit ex útero matris mee, et vocávit per grátiam suam ut reveláret Fílium suum in me, ut evangelizárem illum in géntibus : continuo non acquiévi carni et sánguini, neque veni Hierosólymam ad antecessóres meos apóstolos, sed ábii in Arábiam, et íterum revérsus sum Damáscum. Deínde post annos tres veni Hierosólymam vidére Petrum : et mansi apud eum diébus

quíndecim. Alium autem apóstolorum vidi néminem : nisi Jacóbum fratrem Dómini. Que autem scribo vobis : ecce coram Deo quia non méntior. Deínde veni in partes Sýrie et Cilície. Eram autem ignótus fácie ecclésiis Judée : que erant in Christo. Tantum autem audítum habébant, quóniam qui persequébatur nos aliquándo : nunc evangelizat fidem quam aliquándo expugnábat, et in me clarificábant Deum.

Lectio quarta. (Ad Galathas. ij. : 1.)

Deínde post annos quatuórdecim íterum ascéndi Hierosólymam cum Bárnaba : assúmpto et Tyto. Ascéndi autem secúndum revelatiónem. Et cóntuli cum illis evangelium quod prédico in géntibus : seórsum autem his qui videbántur áliiquid esse, ne forte in vácuum cúrrerem, aut cucurríssem. Sed neque Tytus qui mecum erat cum esset gentílis, compúlsus est circun-

cídi : sed propter subintrodúctos falsos fratres, qui subintroiérunt exploráre libertátem nostram, quam habémus in Christo Jesu, ut nos in servitútem redígerent, quibus neque ad horam céssimus subjectiáni, ut véritas evangélii permáneat apud vos. Ab his autem qui videbántur áliiquid esse quales aliquándo fúerint : nichil mea ínterest. Tu autem.

Lectio quinta. (Ad Galat. ij. : 6.)

Deus persónam hóminis non áccipit. Michi enim qui videbántur esse áliiquid : nichil contulérunt. Sed ecóntra, cum vidissent

quod crédito est michi evangélium prepútii, sicut et Petro circuncisiónis, qui enim operátus est Petro in apostolátum circuncisiónis operátus

est et michi inter gentes, et cum cognovissent grátiam que data est michi, Jacóbus et Cephas et Johánnes qui videbántur colúmne esse, dedérunt michi dextras et Bárnabas

societátis, ut nos in gentes ipsi autem in circuncisiónem tantum,¹⁴ ut páuperum memóres essémus, quod étiam sollicitus fui hoc ipsum fácere.

Lectio sexta. (Ad Galat. ij. : 11.)

CUm autem venisset Cephas Antiochíam : in fáciem ei réstiti, quia reprehénsibilis erat. Prius enim quam venírent quidam a Jacóbo : cum géntibus edébat. Cum autem venissent : subtrahébat et segregábat se, timens eos qui ex circuncisiónem erant. Et simulatióni ejus consenserunt céteri Judéi : ita ut et Bárnabas

ducerétur ab eis in illam simulatiónem. Sed cum vidíssem quod non recte ambulárent ad veritátem evangéllii : dixi Cephas coram ómnibus. Si tu cum Judéus sis gentíliter et non judaíce vivis : quómo do gentes cogis judaizare ? Nos natúra Judéi : et non ex géntibus peccatóres. Tu autem.

Lectio sancti evangelii secundum Mattheum viij. [: 23-27].

[72v.]

[Lectio vij.]



IN illo tēmpore. Ascendēte Jesu in navículam : secúti sunt eum discípuli ejus. Et reliqua.

Omelia Origenis.

(6 in diversis.)

Ingrediēte Dómino in navículam secúti sunt eum discípuli ejus : non imbecílles sed firmi et stábiles in fide, mansuēti et pii, spernēntes mundum, non dúplici corde sed simplici. Hi ergo secúti sunt eum,

non tantum gressus ejus sequēntes : sed magis sanctitátem ejus comitántes, et justítiam ejus consecrántes. Et ecce tempéstas magna facta est in mari : ita ut navícula operirétur flúctibus. Facta est tempéstas magna et non pusílla : ut magnum opus et non pusillum ostenderétur. Quantoque fluctus navícule irruébant, tanto magis discipulos timor conturbábat : ut plus magis desiderárent ad liberándum se mirábília Salvatóris.

Lectio octava.

Dominus vero dormiēbat. Dormiēbat quidem cōporo : sed vigilābat Deitāte. Dormiēbat cōpore, ut apōstolos suscitāret et evigilāre fāceret, precīpue autem omnes nos, ne unquam ānimo dormiāmus neve intellēctū aut prudētia : sed vigilāre in omni tēmpore et jubilāre Dōmino, et salutē ab eo postulāre studeāmus. Ad quem accedētes discīpuli : excitābant eum dicētes, Dōmine salva nos. Pērimus. Tunc dixit eis Jesus, Quid turbāti estis módice fidēi ? Et surgens imperābat ventis et mari : et facta est tranqūillitas magna. Jubet

mari : et non contēmnit. Dicit ventis et tempestātibus : et mox compescūntur. Jubet omni creatūre : et non supergrēditur jussiónem ejus. Sed unum hōminum genus quod secūndum similitūdinem Dei honorificātum est, cui verbum Dei et prudētia data est : hi soli hōmines scīlicet resistunt. Hi tantum inobediētes sunt : hi soli contēmnunt. Ideoque et hi soli in judicio damnabūntur, et a justitia puniēntur : velut deteriores mutis animālibus, vel iis que sine spiritu et ānima sunt in isto mundo.

Lectio nona.

Dedit per hec ómnia nobis Dōminus figūram, et doctrīne imāginem : ut et nos in omni conturbatiōne et contumēlia patiēntiam teneāmus, stābiles simus, fidem non deserāmus. Et si iste omnis mundus tanquam mare ebūlliat, atque in furōrem consūrgat, et si omnes venti et vertígines démonum úndique séviant : et si omnes ut diximus tempestātes maris, id est omnes principātus et potestātes mundi concitēntur et in tumóre iracúndie spument ut fúriant super sanctos, et si adhuc usque ad celum

sese extóllant tempestātes maris, et malignitātes, et dolos et frémitus cóncitent advērsus áliquem vestrum : nolite timēre, nolite turbāri, nolite contremiscere, nolite deficere. Omnes enim quotquot in fidēi navícula cum Dōmino navigātis, omnes quotquot in hac nimirum sancte ecclēsie navícula cum Dōmino per hunc undósum supernatātis mundum, et si ipse Dōminus dōrmiat pio somno vestram patiēntiam et tolerāntiam expéctans, vel impiórum penitēntiam et conversiónem sústinens : alácritur accēdite ad eum oratióibus instāntes,


atque cum prophéta dicentes, Exúrge
quare abdórmis Dómine ? Exúrge et
non repéllas nos usque in finem. Et

íterum, Exúrge Dómine ádjuva nos :
et rédime nos propter nomen tuum.

[**C** *In laudibus.*]

AS:126; 1519:127v; 1531:72v.

1489. Ant. VI.



S- cendénte * Je-su in na- ví-cu-lam, ecce mo-
tus mag- nus factus est in ma-ri : et susci- ta-vé-runt e-um
discí-pu- li e- jus di-céntes, Dómi-ne salva nos pe- rímus.


Ps. Benedictus. 56.*

[*Oratio ut supra.*]¹⁵ 712.


[**C** *Ad vespas.*

AS:127; 1519:128r; 1531:72v.

5074. Ant. VIII.i.



Urgens * Je- sus impe-rá-vit ven-tis et ma-ri :



et facta est tranqúil-li-tas magna. *Ps. Magnificat. 61**.

[*Oratio ut supra.*]¹⁶ 712.

¶ *Feria secunda.*

Lectio prima. (Ad Galathas. ij. : 16.)

Fratres sciéntes autem quod non justificátur homo ex opéribus legis, nisi per fidem Jesu Christi : et nos in Christo Jesu crédimus ut justificémur ex fide Jesu Christi, et non ex opéribus legis. Propter quod ex opéribus legis non justificábitur omnis caro. Quod si queréntes justificári in Christo, invénti sumus et ipsi peccatóres : nunquid Christus peccáti mínister est ? Absit. Si enim que destrúxi hec

íterum reedífico : prevaricatórem me constítuo. Ego enim per legem legi mórtuus sum : ut Deo vivam. Christo confixus sum cruci. Vivo autem jam non ego : vivit vero in me Christus. Quod autem nunc vivo in carne : in fide vivo Fílii Dei qui [73r.] diléxit me, et trádidit semetípsum pro me. Non abjicio grátiam Dei. Si enim per legem est justítia : ergo Christus gratis mórtuus est. Tu.

Lectio ij. (Ad Galathas. iij. : 1.)

Insensáti Gálathe, quis vos fascinávit veritáti non crédere, ante quorum óculos Jesus Christus proscríptus est, et in vobis crucifixus ? Hoc solum a vobis volo díscere, Ex opéribus legis Spíritum accepístis : an ex audítu fidéi ? Sic stulti estis, ut cum Spíritu cepéritis : nunc carne consummémini. Tanta passi estis sine causa : si tamen sine causa. Qui

ergo tríbuit vobis Spíritum, et operátur virtútes in vobis : ex opéribus legis, an ex audítu fidéi ? Sicut scriptum est, Crédidit Abraham Deo : et reputátum est ei ad justítiam. Cognóscite ergo quia qui ex fide sunt : hii sunt filii Abrahe. Próvidens autem scriptúra quia ex fide justificat Deus gentes, prenunciávit Abrahe : quia benedicéntur in te omnes gentes.

Lectio tertia. (Ad Galat. iij. : 9.)

Igitur qui ex fide sunt : benedicentur cum fideli Abraham. Quicunque enim ex operibus legis sunt : sub maledicto sunt. Scriptum est enim, Maledictus omnis qui non permanserit in omnibus que scripta

sunt in libro legis : ut faciat ea. Quoniam autem in lege nemo justificatur apud Deum : manifestum est, quia justus ex fide vivit. Lex autem non est ex fide : sed qui fecerit ea vivet in illis. Tu.

¶ *Feria iij.*

Lectio j. (Ad Galathas. iij. : 13.)

Christus autem nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum, quia scriptum est, maledictus omnis qui pendet in ligno, ut in gentibus benedictio Abrahe fieret in Christo Jesu, ut pollicitationem Spiritus accipiamus per fidem. Fratres,

secundum hominem dico, Tamen hominis confirmatum testamentum : nemo spernit aut superordinat. Abrahe dicte sunt promissiones : et semini ejus. Non dicit, et seminibus, quasi in multis : sed quasi in uno, et semini tuo, qui est Christus.

Lectio ij. (Ad Galat. iij. : 17.)

Hoc autem dico testamentum confirmatum a Deo : que post quadringentos et triginta annos facta est lex, non irritum facit ad evacuandam promissionem. Nam si ex lege hereditas : jam non ex promissione. Abrahe autem : per

repromissionem donavit Deus. Quid igitur lex ? Propter transgressionem posita est : donec veniret semen cui repromiserat, ordinata per angelos in manu mediatoris. Mediator autem unius non est, Deus autem unus est.

Lectio tertia. (Ad Galat. iij. : 21.)

Lex ergo adversus promissa Dei ? Absit. Si enim data esset lex que posset vivificare : vere ex lege esset justitia. Sed conclusit scriptura omnia sub peccato : ut promissio ex

fide Jesu Christi daretur credentibus. Prius autem quam veniret fides : sub lege custodiebamur conclusi, in eam fidem que revelanda erat. Itaque lex pedagogus noster fuit in Christum

Jesum : ut ex fide justificémur. At
ubi venit fides : jam non sumus sub

pedagógo. Omnes enim filii Dei estis
per fidem : in Christo Jesu.

¶ *Feria iiij.*

Lectio prima. (Ad Galat. iiij. : 27.)



Uicúnque enim in Christo
baptizáti estis : Christum
induístis. Non est Judéus,
non est Grecus, non est servus neque
liber non est másculus neque fémina.
Omnes enim vos : unum estis in
Christo Jesu. Si autem vos Christi :

ergo Abrahe semen estis, et
secúndum promissionem heredes.

Dico autem, Quanto témpore heres *(Ad Galat. iv.)*
párvulus est : nichil differt a servo :
cum sit dóminus ómnium, sed sub
tutóribus et actóribus est, usque ad
prefinitum tempus a patre. Tu autem.

Lectio secunda. (Ad Galat. iv. : 3.)

ITa et nos cum essémus párvuli :
sub eleméntis mundi erámus
serviéntes. At ubi venit plenitúdo
témporis : misit Deus Fílium suum
factum ex muliére, factum sub lege,
ut eos qui sub lege erant redímeret, ut
adoptiónem filiórum reciperémus.
Quóniam autem estis filii Dei : misit
Deus Spíritum Fílii sui in corda
nostra clamántem Abba Pater.
Itaque : jam non est servus sed filius.

Quod si filius : et heres per Deum.
Sed tunc quidem ignorántes Deum :
his qui natúra non sunt dii serviebátis.
Nunc autem cum cognovéritis Deum,
immo cogníti sitis a Deo : quómodo
convertímini íterum ad infirma et
egéna eleménta, quibus denuo servíre
vultis. Dies observátis et menses : et
témpora et annos. Tímeo ne forte
sine causa laboráverim in vobis. *[73v.]*
Estóte sicut ego : quia et ego sicut vos.

Lectio tertia. (Ad Galat. iv. : 12.)

FRatres, obsécro vos : nichil me
lesístis. Scitis autem quia per
infirmitátem carnis evangelizávi vobis
jam pridem et tentatiónem vestram in
carne mea non sprevístis neque
respuístis : sed sicut ángelum Dei
excepístis me, sicut Christum Jesum.

Ubi est ergo beatitúdo vestra ?
Testimónium enim perhíbeo vobis :
quia si fieri potuisset, óculos vestros
eruissetis et dedussétis michi. Ergo
inimicus vobis factus sum, verum
dicens vobis ? Emulántur vos non
bene : sed exclúdere vos volunt, ut

illos emulámini. Bonum autem emulámini in bono semper : et non

tantum cum presens sum apud vos.

¶ *Feria v.*

Lectio j. (Ad Galathas. iv. : 19.)

Filióli mei quos íterum partúrio : donec Christus formétur in vobis, vellem autem esse apud vos modo et mutáre vocem meam, quóniam confúndor in vobis. Dícite michi qui sub lege vultis esse, Legem non legístis ?

Scriptum est enim, quóniam Abraham duos filios hábuit : unum de ancílla, et unum de líbera. Sed qui de ancílla secúndum carnem natus est : qui autem de líbera per repressiónem. Que sunt per allegóriam dicta.

Lectio secunda. (Ad Galat. iv. : 24.)

Hec enim sunt duo testaménta. Unum quidem in monte Syna in servitútem génerans : que est Agar. Sina enim mons est in Arábia, qui conjúctus est ei que nunc est Hierúsalem : et servit cum filiis suis.

Illa autem que sursum est Hierúsalem líbera est : que est mater nostra. Scriptum est enim, Letáre stérilis que non paris : erúmpe et clama que non partúris : quia multi filii desérte, magis quam ejus que habet virum.

Lectio tertia. (Ad Galat. iv. : 28.)

Nos autem fratres : secúndum Isaac promissionis filii sumus. Sed quo modo tunc, is qui secúndum carnem natus fúerat persequebátur eum qui secúndum Spíritum : ita et nunc. Sed quid dicit scriptúra ? Ejice ancíllam : et filium ejus. Non enim

heres erit filius ancílle : cum filio líbere. Itaque fratres non sumus ancílle filii : sed líbere. Qua libertáte Christus nos liberávit. State ergo et nolíte íterum jugo servitútis continéri. Tu autem Dómine.

¶ *Dominica quinta.*

[*Ad vespervas.*]¹⁷

*Oratio.*¹⁸

Famíliam tuam quésumus Dómine continúa pietáte custódi : ut que in sola spe grátia celéstis

innítitur, tua semper protectióne muniátur. Per Dóminum.

[¶ *Ad matutinas.*]¹⁹

Lectiones de epistola Pauli ad Philippenses.

Lectio j. (Ad Philippen. j. : 1.)

Aulus²⁰ et Timothéus servi Jesu Christi, ómnibus sanctis in Christo Jesu qui sunt Philíppis : cum epíscopis et dyaconíbus. Grátia vobis et pax a Deo Patre nostro : et Dómino Jesu Christo. Grátias ago Deo meo in omni memória vestri semper in cunctis oratióibus meis pro ómnibus vobis, cum gáudio deprecatióem

fáciens super comunicatióne vestra in evangélio Christi, a prima die usque nunc : confidens hoc ipsum quia qui cepit in vobis opus bonum, perficiet usque in diem Christi Jesu. Sicut est michi justum hoc sentíre pro ómnibus vobis, eo quod hábeam vos in corde et in vínculis meis et in defensióne et confirmatióne evangélii : sócios mei omnes gáudii vos esse.

Lectio secunda. (Ad Philip. j. : 8.)

TEstis enim michi est Deus : quómo do cúpiam omnes vos in viscéribus Jesu Christi. Et hoc oro, ut cháritas vestra magis ac magis abúndet in sciéntia et in omni sensu, ut probétis potióra : ut sitis sincéri²¹ et sine offénsa in die Christi, repléti fructu justítie, per Jesum Christum in glóriam et laudem Dei. Scire autem vos volo, fratres, quia que circa me

sunt magis ad proféctum venérunt evangélii, ita ut víncula mea manífesta fierent in Christo in omni pretório et in céteris ómnibus : ut plures e frátribus in Dómino confidéntes, vínculis meis confortáti, abundántius audérent sine timóre verbum Dei loqui. Quidam quidem et propter invidiam et contentiόnem : quidam autem et propter voluntátem bonam

Christum prédicant. Quidam ex charitáte : sciéntes quóniam in defénsiõe evangélii pòsitus sum. Qui-

dam autem ex contentiõe Christum annúnciant : non sincére existimánte pressúram se suscitáre vínculis meis.

Lectio iij. (Ad Philip. j. : 18.)

[74r.] **Q**uid enim dum omnímmodo sive per occasiõe sive per veritátem Christus annúnciétur ? Et in hoc gáudeo : sed et gaudébo. Scio enim quia hoc michi provéniet ad salútem per vestram oratiõe, et subministratiõe Spíritus Jesu Christi secúndum expectatiõe et spem meam, quia in nullo confúndar : sed in omni fidúcia sicut semper et nunc magnificábitur Christus in córpore meo, sive per vitam sive per mortem. Michi enim vívere Christus est: et mori lucrum. Quod si vívere in carne hic michi fructus est óperis : et quid éligam ignóro. Coártor autem e duóbús, desidérium habens dissólvi et cum Christo esse, multo magis enim mélius : permanére autem in carne magis necessárium est propter

vos. Et hoc confidens, scio quia manébo et permanébo ómnibus vobis ad proféctum vestrum et gáudium fidéi : ut gratulátiõe vestra abúndet in Christo Jesu in me per meum advéntum íterum ad vos. Tantum digne evangélio Christi conversámini : ut sive cum vénero et vídero vos, sive absens áudiam de vobis quia statis in uno spíritu unánimes collaboránte fidéi evangélii, et in nullo terreámini ab adversáriis que est illis causa perditionis, vobis autem salúti. Et hoc a Deo, quia vobis donátum est pro Christo non solum ut in eum credáti : sed ut étiam pro illo patiámini, idem certámen habénte quale et vidístis in me, et nunc audístis de me.

Lectio quarta. (Ad Philip. Cap. ij. : 1.)

Si qua ergo consolátiõe in Christo, si quod solátiøm charitáti, si qua societas Spíritus, si qua víscera pietáti : impléte gáudium meum ut idem sapiáti : eándem charitátem habénte unánimes, idípsum sentiénte. Nichil per contentiõe

neque per inánem glóriam : sed in humilitáte superiõe sibi ívicem arbitránte, non que sua sunt sínguli consideránte, sed et ea que aliórum. Hoc enim sentíte in vobis : quod et in Christo Jesu. Qui cum in forma Dei esset : non rapínam arbitrátus est esse

se equalem Deo, sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo. Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem : mortem autem crucis. Propter quod et Deus exaltavit illum,

et donavit illi nomen quod est super omne nomen : ut in nomine Jesu omne genu flectatur celestium terrestrium et infernorum, et omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris.

Lectio v. (Ad Philip. ij. : 12.)

ITaque charissimi mei, sicut semper obedistis non in presentia mei tantum : sed multo magis nunc in absentia mea, cum metu et tremore salutem vestram operamini. Deus est enim qui operatur in vobis et velle et perficere : pro bona voluntate. Omnia autem facite sine murmurationibus et hesitationibus ut sitis sine querela, et simplices filii Dei, sine reprehensione in medio nationis prave et perverse, inter quos lucetis sicut luminaria in mundo, verbum vite continentes ad gloriam meam in diem Christi : quia non in vacuum cucurri neque in vacuum laboravi. Sed et si immolor supra sacrificium et obsequium fidei vestre : gaudeo et

congratular omnibus vobis. Idipsum autem et vos congaudete : et congratulamini michi. Spero autem in Domino Jesu Christo, Timotheum cito me mittere ad vos : ut et ego bono animo sim, cognitis que circa vos sunt. Neminem enim habeo tam unanimum : qui sincera affectione pro vobis sollicitus sit. Omnes enim que sua sunt querunt : non que sunt Christi Jesu. Experimentum autem ejus cognoscite : quoniam sicut patri filius mecum servivit in evangelio. Hunc igitur spero me mittere ad vos : mox ut videro que circa me sunt. Confido autem in Domino : quoniam veniam et ipse ad vos cito. Tu autem [Domine miserere nostri].

Lectio vj. (Ad Philip. ij. : 25.)

Necessarium autem existimavi Epafroditum fratrem et cooperatorem et commilitonem meum, vestrum autem apostolum et ministrum necessitatis mee mittere ad vos :

quoniam quidem omnes vos desiderabat, et mestus erat propterea quod audieratis illum infirmatum. Nam et infirmatus est usque ad mortem : sed Deus misertus est ejus.

Non solum autem ejus, verunétiam et mei : ne tristítiam super tristítiam habérem. Festinántius ergo misi illum, ut viso illo íterum gaudeátis : et ego sine tristítia sim. Excípite itaque illum cum omni gáudio in [74v.] Dómino, et ejúsmodi cum omni honóre habetóte, quóniam propter

opus Christi usque ad mortem accéssit, tradens ánimam suam : ut impléret id quod ex vobis déerat erga meum obséquium.

De cétero fratres mei gaudéte in (Cap. iij.) Dómino. Eadem me vobis scríbere, michi quidem non pigrum : vobis autem necessárium.

¶ *Lectio sancti evangelii secundum Mattheum xiiij. [24-30.]*



IN illo témpore. Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc. Símile est regnum celórum hómini : qui seminávit bonum semen in agro suo. Et reliqua.

*Omelia beati Hieronymi presbyteri.
(In commenta. Super Matt. xiiij.)²²*

Hec secúnda parábola est cum interpretatióne sua non statim pósito : sed interjéctis áliis parábolis edissérta. Hic enim prepónitur, et póstea dimíssis turbis venítur domum : et accédunt ad eum discípuli ejus rogántes, Edíssere nobis parábolam

zizaniórum agri et reliqua. Non ergo débemus própere ²³ intelligéndi desidério, ante ejus notíciam quérere : quam a Dómino edisserátur. Propónit eis et áliam parábolam, more dívitis qui divérsis invitátos reficiens cibis ut unusquisque secúndum natúram stómachi sui, vária aliménta suscípiat. Ait enim, Símile est regnum celórum hómini : qui seminávit bonum semen in agro suo. Regnum celórum predicátió evangélli est, et notícia scripturárum : que ducit ad vitam. De qua dicitur ad Judéos, Auferétur a vobis regnum Dei : et dábitur genti faciénti fructus ejus. Tu autem.

Lectio viij.

Qui seminávit bonum semen in agro suo. Bonum non séminat nisi bonus : qui semen bone voluntátis ad bona ópera studet perdúcere. Docet in hoc loco

Dóminus bonam voluntátem et cautélam et sapiéntiam et discretiónem : et longanimitátem et justítiam. Docet cautélam : ubi dicit, Cum autem hómines dormírent, id

est inéertia et incúria torpérent, qui áliis ad custódiam sunt deputáti scílicet preláti ecclésie : venit inimícus homo et superseminávit zizánia, hoc est heréticos permíscuit eléctis. Et zizánia sunt : que non de sémíne trítici pervéniunt. Pálee vero hi : qui et si non vita, fide tamen sunt de ecclésia. Cum autem crevísset herba et fructum fecísset : tunc apparuérunt

zizánia, id est hereticórum dogmáta. Quia cum spirituális esse céperit homo : tunc júdicat ómnia et tunc ei appárent erróres, sed donec maturéscat qui herba est. Potest enim movére : quare sub nómine Christi tot sunt héreses. Unde dicunt, Nonne bonum semen seminásti in agro tuo ? Unde ergo habet zizánia ? Tu autem.

Lectio nona.

Ait illis Dóminus. Inimícus homo hoc fecit. Ecce patiéntia. Non enim audíto dolo exársit in iram, nec mox ulcisci vóluit : ita nos lesi patiénter ferámus. Servi autem dixérunt, Vis imus et colligámus ea ? Id est : excommunicémus eos. Et ait, Non. Ibi enim patiénter tollerándi sunt mali : ubi áliqui inveniúntur boni. Cum ergo spirituális homo hoc audit esse a dyábolo, qui nichil valet contra voluntátem Dei : potest ei volúntas suboríri ut tales áuferat de mundo si facultátem hábeat. Sed conclusit justítia Dei an fácere debeat : et an Deus velit hoc officium hóminum. Sed véritas respóndet non nosse hóminem in hac vita, qualis futúrus sit qui modo errat, vel quid error quidem eis cónferat : et ídeo non esse tolléndos, ne boni interficiántur, quod forte futúri sunt,

vel ne bonis obsit quibus prosunt. Tunc vero oportúne fieri, cum jam non est tempus commutánde vite, vel proficiéndi áliis : et tunc non ab homínibus sed ab ángelis dicit fieri. Ne forte colligéntes zizánia : eradicétis simul cum eis et tríticum. Ecce discrétio. Sic et tu ne reddas vicem malis ut scandálizes bonos : sed ut eis prosit, patére. Hic datur locus patiéntie, et monémur non cito amputáre : quia qui hódie errat, cras forsán deféndet veritátem. Si ergo modo avellerétur : tríticum quod futúrum erat eradicarétur. Vel necesse est ut mali permíxti sint bonis per quos exerceántur : vel quorum comparatióne nitántur ad mélius. Quibus sublátis : altitúdo charitátis marcéscat, quod est eradicári. Tu [75r.] autem.

[In laudibus.]


AS:127; 1519:128r; 1531:75r.²⁴

2364.


Ant.
I.iii.



O- mi-ne, * nonne bonum semen semi-násti in



agro tu-o : un-de ha-bet zi-zá-ni- a ? et a- it, Hoc



fe- cit i- nimí- cus homo. Ps. Benedíctus. 46*.


[Oratio ut supra.]²⁵ 721.

¶ Ad vespas.


AS:127; 1519:128r; 1531:75r.²⁶

1853.


Ant.
I.i.



Ollí- gi- te * primum zi-zá-ni- a et al- li- gá- te



e- a fascí- cu- los ad combu- réndum : trí- ti- cum autem




congre- gá- te in hórr- e- um me- um. Ps. Magníficat. 46*.

[Oratio ut supra.]²⁷ 721.


¶ *Feria secunda.*

Lectio prima. (Ad Philip. iij. : 2.)

 Ratres, vidéte canes, vidéte malos operários : vidéte concisiónem. Nos enim sumus circuncísio qui spírítu Deo sérvimus,


et gloriámur in Christo Jesu, et non in carne fidúciam habéntes : quam et ego hábeam in carne confidéntiam.

Lectio ij. (Ad Philip. iij. : 4.)

 I quis autem álius vidétur confidere in carne : ego magis circuncísus octáva die ex genere Israel, de tribu Bénjamin, Hébreus ex Hébreis, secúndum legem Phariséus, secúndum emulatióem pérsequens

ecclésiam Dei, secúndum justítiam que in lege est, conversátus sine quérela. Sed que michi fuérunt lucra : hec arbitrátus sum propter Christum detriménta.


Lectio tertia. (Ad Philip. iij. : 8.)

 Erúntamen et exístimo ómnia detriméntum esse, propter eminentem sciéntiam Jesu Christi Dómini mei, propter quem ómnia detriméntum feci, et árbitror ut stércora, ut Christum lucrifáciam : et invéniam in illo non habens meam justítiam que est ex lege, sed eam que ex fide est Christi Jesu, que est ex Deo justítia in fide, ad agnoscéndum

illum et virtútem resurrectiόνis ejus, et societátem passiónum illius, configurátus morti ejus, si quo modo occúrram ad resurrectióem que est ex mórtuis. Non quod jam accéperim aut jam perféctus sum²⁸ : sequor autem si quo modo comprehéndam, in quo et comprehénsus sum a Christo Jesu. Tu autem.

¶ *Feria tertia.*

Lectio prima. (Ad Philip. iij. : 13.)

 Ratres : ego me non árbitror comprehéndisse. Unum autem, que quidem retro sunt obliviscens, ad ea vero que sunt prióra

exténdens meípsum : ad destinátum pérsequor, ad brávium supérne vocatiónis Dei, in Christo Jesu. Quicúnque ergo perfécti sumus : hoc

sentiámus. Et si quid áliter sápitís :
et hoc vobis Deus revelábit. Verún-
tamen ad quod nos pervénimus, ut
idem sapiámus : et in éadem perma-

neámus régula. Imitatóres mei estóte,
fratres, et observáte eos qui ita
ámbulant : sicut habétis formam
nostram.

Lectio ij. (Ad Philip. iij. : 18.)

Multi enim ámbulant quos sepe
dicébam vobis, nunc autem et
flens dico inimícos crucis Christi :
quorum finis intéritus, quorum Deus
venter est, et glória in confusióne
eórum qui terréna sápiunt. Nostra
autem conversátio in celis est. Unde

étiam Salvatórem expectámus Dómi-
num nostrum Jesum Christum qui
reformábit corpus humilitátis nostre
configurátum córpori claritátis sue :
secúndum operatióne[m] qua étiam
possit subjícere sibi ómnia.


Lectio tertia. (Ad Philip. Cap. iv. : 1.)

Itaque, fratres mei charíssimi et
desideratíssimi, gáudium meum
et coróna mea : sic state in Dómino
charíssimi. Euchódiam rogo et
Síntheticem déprecor : idípsum sápere

in Dómino. Etiam rogo et te ger-
máne compar, ádjuva illas que mecum
laboravérunt in evangélio cum
Cleménte et céteris adjutóribus meis :
quorum nómina sunt in libro vite.

¶ *Feria quarta.*

Lectio prima. (Ad Philip. iv. : 4.)

 Audéte in Dómino semper :
íterum dico gaudéte. Mo-
déstia vestra nota sit
ómnibus hóminibus : Dóminus enim
prope est. Nichil sollíciti sitis : sed in
omni oratióne et obsecratióne cum

gratiárum actióne, petitiónes vestre
innotéscant apud Deum. Et pax Dei
que exúperat omnem sensum :
custódiat corda vestra et intelligéntias
vestras in Christo Jesu.

Lectio secunda. (Ad Philip. iv. : 8.)

DE cétero fratres quecúnque sunt
vera, quecúnque pudíca, que-
cúnque justa, quecúnque sancta,

quecúnque amabilia, quecúnque
bonas fame, si qua virtus, si qua laus
disciplíne : hec cogitáte que didicístis

et accepístis, et audístis et vidístis in me. Hec ágite : et Deus pacis erit

vobíscum. Tu autem.

Lectio tertia. (Ad Philip. iv. : 10.)

[75v.] **G**avisus sum autem in Dómino vehementer, quóniam tandem aliquándo refluístis pro me sentire : sicut et sentiebátis. Occupáti enim erátis. Non quasi propter penúriam dico : ego enim dídici in quibus sum sufficiens esse. Scio et humiliári :

scio et abundáre. Ubique et in ómnibus institútus sum : et saturári et esuríre, et abundáre et penúriam pati. Omnia possum : in eo qui me confórtat. Verúntamen bene fecístis : communicántes tribulatióni mee. Tu autem, Dómine.

¶ *Feria quinta.*

Lectio prima. (1. ad Thess. j. : 1.)²⁹

DAulus, et Silvánus, et Timótheus : ecclésie Thessalonicensium in Deo Patre Dómino nostro et Jesu Christo. Grátia vobis et pax. Grátias ágimus Deo semper pro ómnibus vobis memóriam vestri faciéntes in

orationibus nostris, sine intermissione, memóres et óperis fidéi vestre, et labóris et charitátis et sustinéntie spei Dómini nostri Jesu Christi : ante Deum et Patrem nostrum.

Lectio secunda. (1. ad Thess. j. : 4.)

SCientes fratres dilectíssimi a Deo electiónem vestram, quia evangélium nostrum non fuit ad vos in sermóne tantum : sed et in virtúte et in Spíritu Sancto, et in plenitúdine multa, sicut scitis, quales fuérimus in vobis propter vos. Et vos imitatóres nostri facti estis et Dómini, excipiéntes verbum Dei in

tribulatióne multa cum gáudio Spíritus sancti : ita ut facti sitis forma ómnibus credéntibus in Macedónia et in Acháia. A vobis enim diffamátus est sermo Dómini non solum in Macedónia et in Acháia, sed et in omni loco fides vestra que est ad Deum perfécta est : ita ut non sit nobis necesse quicumquam loqui.

Lectio tertia. (I. ad Thess. j. : 9.)

Ipsi enim do vobis annúnciant
qualem introítum habuérimus ad
vos, et quómo do convérsi estis ad
Deum a simuláchris : servíre Deo vivo
et vero, et expectáre Fílium ejus de
celis quem suscitávit ex mórtuis
Dóminum Jesum, qui erípuit nos ab
ira ventúra.

Nam et ipsi scitis fratres introítum (I. ad
nostrum ad vos quia non inánis fuit : Thess. ij.)³¹
sed ante passi multa et contuméliis
affécti sicut scitis in Philíppis,
fidúciam habúimus in Dómino nostro
loqui ad vos evangélium Dei in multa
solicitúdine. Tu autem Dómine
[miserére nostri].

Notes, pages 693-730.

- ¹ *Bede Serm. Hyemales de Tempore Op. vii. 204.* [SB:ccccxxxviii.]
- ² In AS:126. “Núpcie” is set F G GAGF.
- ³ 1531:69r. indicates “Ps. Miserére. l.” at this point, as if this were the first antiphon of Lauds of a feria.
- ⁴ 1519:127r.
- ⁵ 'mysteriórum' *Vulg.* [SB:ccccxli.]
- ⁶ 'indiáre' *Chev.* [SB:ccccxlii.]
- ⁷ 1519:127r.
- ⁸ 1519:127v. begins thus:
- Cum autem * descendís-set
- ⁹ 1519:127v.
- ¹⁰ 'Audéntes,' *Vulg.* [SB:cccclii.]
- ¹¹ 1519:127v.
- ¹² 1519:127v.
- ¹³ “Paulus apóstolus Jesu Christi.” 1519:127v.
- ¹⁴ 'in circumciónem : tantum ut,' *Vulg.* [SB:cccclvii.]
- ¹⁵ 1519:128r.
- ¹⁶ 1519:128r.
- ¹⁷ 1519:128r.
- ¹⁸ 1519:128r. adds “Orémus.”
- ¹⁹ 1519:128r.
- ²⁰ 1519:128r. repeats the cue of dominica iv. “Paulus apóstolus Jesu Christi.”
- ²¹ 'sincéres,' *Chev.* [SB:cccclxv.]
- ²² Hieron. *Op.* Tom. vi. 25. [SB:cccclxviii.]
- ²³ 'properáre,' *ed. Hieron.* [SB:cccclxix.]
- ²⁴ No flat appears in 1519:128r. 1519:128r. has “zizániam.”
- ²⁵ 1519:128r.
- ²⁶ 1531:75r. has “alligáte ea in fascículos”.
- ²⁷ 1519:128r.
- ²⁸ 'sim,' *Vulg.* [SB:cccclxxi.]
- ²⁹ 'Ad the. I.' *Chev.* [SB:cccclxxiii.]
- ³⁰ '(Gala. 2.)' *Chev.* [SB:cccclxxiv.]